

tur, mentemque & corpus vehementius afficit, *oritur* vel à determinatione mentis cogitantis; vel ab ipso spirituum temperamento; vel ab objectis spiritus illos moventibus: eæque causæ se mutuo sæpissime excitant, conservant, vel augent, & interdum etiam immutant.

VII. Ita enim à natura comparati sumus, ut mens nostra motum spirituum animalium ope glandulæ pinealis, varie, pro cogitationum varietate, determinet, ipsaque istâ variâ determinatione, ut & corpus, varie afficiatur: sed præcipue, ut motus spirituum, ab objectis & temperamento excitati, mentem & corpus quam maxime afficiant, variasque affectuum cogitationes & corporis perturbationes, pro motus & determinationis suæ varietate, in ipsa, per varium spirituum in varias partes influxum, excitent, vel excitas immutent.

VIII. Et hinc, quia, in vehementioribus istis cogitationibus, spiritus aliter nonnunquam determinantur, quam illi à suo temperamento vel ab objectis moventur: imo, quia mens sæpissime spiritus animales, inter cogitandum, modo hac, modo illa ratione determinat, ideo sæpe contingit, ut *varii, imo contrarii in nobis oriantur affectus*; qui vulgò luctæ carnis & spiritus, sive facultatis rationalis & irrationalis (quas quidam falsò in mente esse imaginantur) male adscribi solent. Mens enim nostra tota est rationalis, quamvis ratione sive cogitandi facultate non semper bene utatur, & à rebus externis sæpe magnopere perturbetur.

IX. Et quia spiritus sæpissime à suo temperamento vel ab objectis tam fortiter & celeriter moventur, ut illorum motus mentis diligentiore attentionem vel determinationem antevertat, vel à mentis attendentis determinatione mutari vel fisti non possit; hinc sæpe fit, ut vel non satis attendentes, vel res non satis bene pensulantes, vel quamvis interdum etiam ad rem attendamus, *inviti tamen, ad affectus quosdam rapiamur, & quamdiu fortis ille spirituum motus durat, illi in nobis perseverent.*

Facultas enim seu vis mentis, qua spirituum illum motum potest determinare, vel determinationem eorum mutare, non est in-